

fut le Révérendissime Abbé Reusse fut d'une immense bonté pour les pauvres, à commencer par ceux de chez nous.

Aussi, quand il trépassa, le 31 mars 1763, on put graver sur la pierre de son tombeau: « Vixit pauper pauperibusque dives ». « Riche seulement pour les pauvres, il vécut pauvre ».

M. DEGROULT, O. Praem.

Formatio theologica in Abbatia Wiltinensi (II).

Anno 1958 (*An. Praem.*, XXXIV, 1958, 350-361) compendiose retulimus ea quae Dr. HAIDACHER tunc ediderat de « *Studium und Wissenschaft im Stifte Wilten in Mittelalter und Neuzeit* ».

Altera pars inquisitionum Dr. HAIDACHER recenter publicata est in *Veröffentlichungen des Museum Ferdinandeum*, XXXVIII, 1958, pp. 8-100. Sub eodem titulo generali, supra relato, alteram periodum historiae abbatiae Wiltinensis considerat: *Von der Gründung der Universität Innsbruck bis zum Einsetzen der staatlicher Studien-reformen* (1670-1719).

Quod antea scripseramus (l. c., p. 350), et pro praesenti publicatione Dr. Haidacher plene valet: « Per plurima refert quae nata sunt illustrare rationem qua Abbates plures Wiltinenses... efficaciter conati sunt ut formatio religiosorum scientifica (et strictius religiosa) promoveretur; similiter exinde plurima deducere fac est de formatione generali religiosorum in illa aetate et de iis, quae censebantur illa aetate necessaria et utilia ad hoc ut religiosi vocationi suae quam maxime fideles censerentur ».

Durante aetate, quae in hac altera parte dissertationis Dr. Haidacher prae oculis habetur, fructus evidentes perspicimus conatuum jam antea incoeporum et jugiter servatorum in decursu aetatis subsequenter, sub qua Canonica Wiltinensis vario sub respectu eminebat inter abbatias Ordinis in regionibus Austriacis et circumjacentibus.

Universitas Oenipontana (Innsbruck) anno 1669 initium sumpsit cum facultate philosophica. Cumque in fundanda hac Universitate variae « Länder » regionis magnum influxum habuerint, in quarum regimen Abbates non modicam exercerent auctoritatem, merito abbas Wiltinensis, Dominicus LOER (1651-1687) scribere potuit Imperatori se consentire foundationi Universitatis et consilia positiva sua ad hoc dedisse. In Cancellarium Universitatis a Summo Pontifice constituitur episcopus Brixinensis. Cum autem episcopus iste non

resideret in civitate Oenipontina, Vice-Cancellarium nominare poterit. Cancellario iniungitur ut invigilet ad hoc ut doctrina genuine catholica in Universitate traderetur; professionem fidei in ipsius manus emittere debent sodales Universitatis; item ac Juramentum Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis. Qua delegatus episcopi Brixinensis, cancellarii Universitatis, abbati Loer incumbit bullam foundationis et confirmationis Universitatis solemniter publicare, die 16 Novembris 1677. Postera die, assistit primae disputationi theologiae in Universitate, in qua Prior abbatae, Johannes a Freising lauream obtinet. Praeest solenni emissioni iuramenti Lectorum Universitatis quo sese obstringunt Immaculatam Conceptionem defendere.

Abbates S. KAMMERLANDER et A. MAYER plures e suis religiosos ad Universitates miserant. Et quidem ad hoc ut gradum academicum doctoratus obtinerent. Abbas LOER non facile religiosos suos ad gradum doctoralem ascendere permisit. Quod non valuit tamen pro suo Priore et successore, Joh. a Freising. Postea Loer multos adhibuit conatus ad hoc ut Priori suo, Joh. a Freising, conferreretur cathedra S. Scripturae in Universitate Oenipontina. Quod tamen obtinere non valuit; uti videtur, eo quod sodales Societatis Jesu energice asserebant sibi reservari omnes cathedras philosophicas et theologicas Universitatis.

Sub abbate Dominico Loer numerus alumnorum Wiltinensium in Universitatibus studentium valde decrevit. Unica ratio hujus facti quaerenda videtur in statu materiali misero in quo abbatia Wiltinensis tunc versabatur.

Sub abbate sequenti, Joh. A. FREISING (1687-1693), iterum numerus illorum studentium crevit.

Greg. VON STREMER (1693) deinde abbatiam gubernat; et quidem splendide. Praeter alia sua merita eximia (cfr. H. SZANTO, *Die Hausordnung des Abtes Gregor v. Stremer aus dem Jahre 1699: Anal. Praem.*, XXX, 1954, 178-218), dicitur « studiorum promotor incomparabilis ». Quod non tantum non valet de iis quae fecit ad hoc ut studia religiosa in monasterio suo florerent, sed insuper ad hoc ut relationes vivaces vigerent abbatiam inter et centra academica, signanter Universitatem Oenipontinam. Stremer ipse virtute et doctrina eminebat. Lauream in Philosophia et Theologia obtinuerat; per plures annos praelector fuerat scientiarum sacrarum in Canonica. Cum Prior esset, iter instituit in Urbem, Romam; qua occasione moratus est in Collegio Ordinis. Scribit ipse in suo *Memoriali*: « Licet

enim pietas ad omnia utilis sit, adeoque scientiae praeferenda, sine hac tamen scientia virtus destituta est spiritu illo et pondere, quo indiget ad animos commovendos et in partem suam trahendos ». Durante sua Praelatura, 47 sodales Wiltinae professionem religiosam emisunt ; ex his 42 inveniuntur inscripti in Universitate. Potissimum isti S. Theologiae incumbere debebant ; non raro, illi qui in ipsa domo Wiltinensi S. Theologiae cursum jam absolverant, in Universitate profundius eidem scientiae incumbere debuerunt.

Pluries confratres Wiltinenses in Universitate, iuxta morem illius aetatis, exercitationes scholasticas et publicas disputationes suscipere debuerunt. Iteratis vicibus, unus e Wiltinensibus orationem annuam solemnem in honorem Beatae Mariae Virginis, in festo B. Virginis Immaculate Conceptae habuit: quod nonnisi alumni eximiis concedi solebant professores Universitatis. Rarissime tamen Stremer concessit ut quis lauream doctoralem obtineret, ne, in abbazia reversi studiis absolutis, difficilius sese adaptarent disciplinae religiosae. Ita explicatur perplures inter Wiltinenses fuisse Philosophiae Doctores ; rarissimos vero S. Theologiae Doctores.

Finito anno academico 1706-1707, non amplius apparent Wiltinenses inter auditores Universitatis Oenipontinae. Status iste rerum perduravit usque ad annum 1761, cum pro prima vice cathedra doctoralis Universitatis Wiltinensi cuidam conceditur. Factum illud nequaquam significat studia ecclesiastica tunc minus floruisse inter Wiltinenses, cum constet eo tempore rationem studiorum domesticorum ad talem gradum perfectionis esse perductam, ut plures confratres ex aliis canonis tunc ad canoniam Wiltinensem convenerint, studiorum causa. Attamen, ne censeamus relationes vividas cessasse inter canoniam Wiltinensem et Universitatem. Siquidem disputationibus et actibus solemnibus Universitatis solebant assistere Wiltinenses, uti antea. Praeterea constat inter 36 sodales qui Wiltinae professionem emisunt sub abbate STICKLER (1719-1747) 22 antea inscriptos fuisse qua alumnos Universitatis. Ratio praecipua proinde ob quam pauciores numero quam antea Wiltinenses Universitatem frequentabant quaerenda est in recta ordinatione quae tunc maxime vigeat in ipso studio domestico.

Unica exceptio sub hoc respectu spectabat Jus Canonicum. Abbas Stickler persuasus, et hanc disciplinam maximi momenti esse pro formatione recta suorum religiosorum, et perspicuus lectorem bene formatum sub hoc respectu sibi deficere, duos e suis con-

fratribus, studiis ipsis theologicis absolutis, ad Universitatem misit, ut specialiter incumbere Juri Canonico.

Non solummodo Universitatem Oenipontinam frequentabant sodales Wiltinenses sub abbate Stremer. Saltem unus, Schluderpacher, Universitatem Dilinganam frequentavit. Ulterius abbas Stremer obtinere potuit ut e suis religiosis admitterentur in Collegio Germanico Urbis; siquidem Cas. Grustner, anno 1709, qua alumnus in Collegio dicto admissus fuit (qua occasione abbas Stremer epistolas misit Procuratori Ordinis in Urbe, quibus fratrem Grunstner illius curae commendaret). Grustner spem quam abbas Wiltinensis in eo posuerat non fefellit. In codice « Nomina alumnorum » Collegii Germanici, vol. I, p. 829, nr. 3270 haec de Grustner edicuntur: « Vir vere religiosus, optimo etiam ingenio praeditus; diligens etiam et assiduus in studiis, in quibus multum profecit. Ad conciones pariter maxime idoneus. Disputationes habuit in 3^o anno, et in eodem concionatus est in die Sti Apollinaris utrumque cum magna laude ». Laurea philosophiae ac S. Theologiae dotatus, Wiltinam rediit anno 1714, postquam die 23 Septembris 1713 in Basilica S. Petri primitias celebrare potuit.

Anno 1734, studiis in ipsa Canonica absolutis, Thomas Fenner Urbem adiit, studiis theologicis, potissimum vero juridicis, qua alumnus Collegii Germanici, addictus. In fine horum suorum studiorum disputationes solemnes habuit de Jure canonico sub patrocinio Cardinalis Hannibalis Albani, qui inde ab anno 1726 Cardinalis Protector erat Ordinis Praemonstratensis. Anno 1737 Fenner Wiltinam redit, « virtute et doctrina non leviter imbutus », uti Abbas Stickler scribit in litteris ad Procuratorem generalem Ordinis, die 1 Augusti 1737.

Abbas Strahoviensis anno 1628 Pragae condiderat Collegium Norbertinum, in quo degerent religiosi Praemonstratenses studiorum causa ad Universitatem Pragensem missi (interdum religiosi aliorum Ordinum, uti Cistercienses, in illo Collegio degebant). Pauci tantum Wiltinenses in Collegio Pragensi morati sunt: anno 1722 Marianus von Spaur et Matthias Perkhofer Collegium istud adierunt. Diu tamen ibidem non remanserunt; conditiones in quibus Collegium istud tunc dirigebatur minus laudandae videbantur.

Quid de studio domestico canonicae Wiltinensis in illa aetate?

Finiente saeculo decimo sexto, studium domesticum recte ordinatum in canonica Wiltinensi apparet. Duo Lectores, e conventu assumpti, tradunt philosophiam et theologiam. Juxta cursus stricte

sumptos, saepe instituebantur exercitationes scholasticae. Studium Wiltinense tam bene ordinatum apparet, ut in Capitulo Circariae anni 1659, Wiltina proponeretur ut commune centrum possibile studiorum Circariae. Similiter, in Capitulo Generali anni 1657, abbas Wiltinensis, studiorum causa rogavit et obtinuit ut solummodo quatuor religiosi, nomine totius Communitatis, legerent, durante Quadragesima, psalmos poenitentiales et Officium Defunctorum.

Johannes a Frising abbas Wiltinensis erat annis 1687-1693. In Capitulo Provinciali anni 1688, in Schäftlarn, Abbas Freising fuse locutus est de bono spirituali quod toti Communitati obveniret, si in singulis Canonis bis vel ter in hebdomada « exercitia tam philosophica quam theologica » tenerentur. Exinde consilium dedit Capitulum ut haec in singulis Canonis tenerentur « ad eum modum, qui in ecclesia Wiltinensi praticari iam coeptus est ».

Post abbatem Freising, veniunt abbates von Stremer (1693-1719) et Martinus Stickler (1719-1747) ; qui non minus quam von Freising studiis invigilaverunt. Stickler scribere ausus est Summo Pontifici doctissimo Benedicto XIV: « Iis (scil. scientiis et litteris) *ut nihil post virtutem praestantius antiquiusque ducimus* ».

Lectores Canoniae, qui generatim tunc in illa regione dicebantur « Professor ordinarius », in Capitulo ab Abbate ad hoc munus designabantur. Munus ordiebantur instituendo « Principium solemne », ad quod saepe etiam hospites externi invitabantur. Postea cursus Juris canonici introductus est ; qui cursus « practica Theologia » vocabatur. Lectores generatim per quatuor vel sex annos sacras scientias docebant ; deinde ipsis obedientia in cura animarum tradebatur, ita tamen ut postea non raro ad lectoratum revocarentur. Ut major auctoritas moralis Lectoribus conferretur, a Capitulo Generali anni 1660 Lectoribus Theologiae conceditur ut inter « Majores domus » annumerarentur. Professores assumebantur ex iis qui Universitatem frequentaverant.

Quidnam requirebatur ab alumnis studii domestici ?

Conditiones satis stringentes proponebantur pro admittendis novitiis. Inter has conditiones status moralis candidati prae oculis tenebatur. Scribit abbas Stremer in suo *Memoriali*, cap. 3, n. 4: « Nulla autem persona cujuscunque etiam doctrinae vel nobilitatis... admittatur nisi secundum communem rationem nostrae vivendi regulae se conformare velit, quia nullum membrum debet a corpore difforme esse ». von Stremer, durante sua Praelatura (1693-1719) 60 candidatos ad novitiatum admisit ; inter quos 47 professionem emiservunt.

Candidati censebantur studia humaniora absolvisse ; non raro cursum philosophiae in Universitate jam absolverant. Exhinc plures, novitiatu completo, statim theologiae incumbere poterant. Verum, anno 1707, in hac re immutatio deprehenditur. Hoc anno, non amplius apparent inscriptiones Wiltinensium in Universitate Oenipontina ; et cursus philosophiae peractus in Unversitate non amplius censebatur sufficere ut statim theologiae studendae sese accingerent candidati. Non improbabile videtur illam praxim ideo inductam fuisse, quia in Universitate Oenipontana Professores philosophiae nimis eclectismo cuidam favebant, dum in canonia Wiltinensi omnino adhaerendum esse censerent Abbates genuino Thomismo. Exceptiones tamen deprehenduntur, sed solummodo post periculum rigorosum. Ita Fr. Woller, ante suam susceptionem in gremium Abbatiae ab abbate Stickler et tribus canonicis Wiltinensibus examinatus est « ex universa philosophia ordentlich und rigorose » ; candidatus vero « magistraliter » respondit, iudicio examinerum.

In Canonia, cursus philosophiae tradebatur per duos annos, et quidem systematice, et qua praeparatio ad studium theologiae subsequens. Materia pertractata in cursu philosophiae haec erat : Primo anno, initium constituebat tractatio Logicae ; qua tractatione absoluta, disputatio instituebatur in qua alumni probare debebant se materiam tractatam sufficienter assimilasse. Sequitur deinde « Physica ». In altero anno cursus philosophiae, « Metaphysica » materiam tractationis constituit.

Cursus S. Theologiae protrahendus erat per quatuor annos. Duo Professores « ordinarii », dicti « Theologus primarius et secundarius » materiam, et quidem ratione systematica, tradebant. Theologia fundamentalis dicta et dogmatica docenda indicatur. De materiis dictis « positivis » nulla explicita mentio habetur. Probabilissime materia quae nostris diebus theologia « positiva » dici solet, practice conjungebatur cum materia theologiae scholasticae. Idem dicendum est de elementis Juris canonici.

Cum autem cura animarum maximi esset momenti in abbazia Wiltinensi, cui variae parochiae curandae commissae erant, theologia moralis summa cum cura praelegebatur. Pars ista theologia « theologia practica » dicebatur. Praelectiones theologiae moralis magis ad praxim applicabantur ope plurium conferentiarum casuum. Huic adijungebatur praelectio in refectorio, in qua non raro casuistae sermonem habebant de materiis « theologiae practicae », sepositis

tamen semper materiis « quae castas aures possent offendere » (Ita Capitulum Provinciale anni 1708).

Cum plures Praemonstratenses ad curam animarum destinarentur, cumque minus rectum videretur juvenes sacerdotes absque praeparatione speciali ad curam animarum emittere, Capitulum Provinciale anni 1708 jussit ut quivis conventualis, ad beneplacitum Abbatis, « ad novum examen pro cura animarum » astringeretur.

In Canoniam Wiltinensem, ordinandi ad speciale examen evocabantur; abbas Stickler jubet ut deinceps nemo ad ordines mitteretur absque testimonio Professorum « de competente studio et adhibita diligentia possibili in acquirenda scientia maxime theologica ».

Plura tandem dici possent de disputationibus « annuis », « sabbatinis », « mensuris », quae tunc maximi momenti censebantur. E quo patet studia sacra tunc considerata esse quae praeparationem ad curam practicam animarum, sed etiam ad hoc ut sodales Ordinis vere possiderent mentaliter materiam in scholis traditam. Studium domesticum revera plus erat quam « schola pastorum ». Quod et probatur e relationibus scientificis quae semper vivide intercesserunt inter Universitatem Oenipontinam et studium domesticum. Idem patet e pluribus thesibus defendendis impressis, necnon e plurimis libellis, concionibusque impressis. Ita, v. gr. de Wilhelmo Pock († 1735) asseritur: « Aliquot supra viginti asceticos tractatus vernaculo idiomate vel author vel facta e gallico et italico versione interpres publica popularium utilitate typis edidit ». Tschaveller edit librum: « Casus reservati ». Grustner edit « Theologiae naturalis Nucleus ». Franck parat « Manuale theologicum », etc. Comparando ea quae illo tempore e sola Canoniam Wiltinensiam eduntur cum iis quae eodem tempore a Professoribus Universitatis eduntur, omnino Canoniam Wiltinensem palmam obtinet.

Varii Ordines, magis organizationem centralem habentes quam Ordo noster, jam cito erexerant Instituta centralia pro studiis sacris suorum sodalium. Tale quid in Ordine Praemonstratensi non invenitur. Et ab Abbatibus generatim non quaerebatur. Quando, anno 1679, Abbas Generalis, Colbert, Capitulum Provinciale Bavariae rogat « subsidium charitativum » pro instaurando Collegio Parisiensi, hoc subsidium simpliciter et energice denegatur ab illo Capitulo. Ex altera tamen parte, Abbates determinatae cujusdam regionis non raro cogitarunt de studiis sacris tradendis in communi quadam domo. Hoc deprehenditur apud Benedictinos. Idem manifestatur

apud Praemonstratenses. In Capitulo Provinciali anni 1652, in Schäftlarn, plures Abbates tale desiderium manifestaverant. Iterum in Capitulo Provinciali eiusdem Circariae (Windbergae, 1654) de domo studiorum communi ac de novitiatu communi sermo fuit. Difficultates practicae autem tantae censebantur, ut sisterent Patres Capitulares in consilio mittendi studentes philosophiae ad canoniam Schaeftlarensensem; pro studentibus in « casuistica », commendatur Osterhofen. Haec omnia tamen, ad beneplacitum Domini Praemonstratensis. Iterum in Capitulo Provinciali anni 1659 de eadem re fuse actum est. Tunc vero Canoniam Wiltinensem pro loco communi studiorum proponitur: « tamquam commodissimus hocce tempore pro altioribus studiis locus ». Ratio potissima ob quam haec ordinatio proposita fuerit, erat ista: Wiltina erat « florentissima Ordinis canoniam »; et quidem non ob praestantiam suam oeconomica, sed ob perfectionem ad quam studia ecclesiastica in illa canoniam adducta erant. Iterum tandem Capitulum Provinciale anni 1679 idem votum proposuit...; sed nullibi apparet ne unam quidem Canoniam Circariae alumnos suos, studiorum causa, Wiltinam misisse.

Capitulum Provinciale anni 1695, in Osterhofen celebrato, de eadem quaestione egit. Abbas Wiltinensis, Stremer, ad solutionem practicam devenire omnino volebat. Ita legimus in Protocollo Capituli dicti: « Cum totum venerabilem capitulum sessione la unice desideraverit erigi in nostra provincia commune aliquod studium a quo plurimum boni in ordinem nostrum dimanet: *R. D. abbas Wiltinensis* eum in finem ultima sessione se obtulit, ut ex tota nostra provincia quilibet praelatus suos religiosos fratres ad ipsum mittere atque ibidem in utraque palaestra tam virtutis quam doctrinae strenue exercitari possint, eum sublimioris studii scientiam in prope adiacente universitate, casuisticas vero et morales doctrinas domi in religiosa disciplina haurire queant, hac tamen cum conditione, ut singulis annis pro victu et potu unius fratris 130 floreni solvantur ».

Quidnam practice de solutione ab abbate Stremer proposita eveniret, non ita facile est dictu. Difficultates non modicae ex eventibus bellicis provenientes vitam civium non parum turbarunt. Videmus tamen paulatim nonnullos confratres, ex alienis Canonibus, Wiltinae morari, studiorum causa. Constat, inter alia, abbates Schrankh, Windbergensem (1732-1735), Liggelder, abbatem Osterhoviensem (1765-1783), abbatem Sagkrer, abbatem Sti Salvatoris (1756-1789) Wiltinae commoratos esse studiorum causa. Notumque est encomium ab abbate Liggelder pronuntiatum, in quo Wiltina dicitur: « Semi-

narium Praelatorum, Superiorum, et Professorum ». Et in Necrologio Schaeftlarensi, die 15 Octobris, occasione mentionis cfr. Sonderholzer, Wiltina praedicatur: « praestantissimorum virorum collegium ».

Paulatim studentes ex aliis monasteriis numerosiores Wiltinae adveniunt. Etiam ex canoniis magis remotis, uti ex abbazia Sorethana (Schussenried). Abbas O. S. Benedicti de Ettal dolet quod defectus locorum in abbazia Wiltinensis impedit quominus plures alumnos huc mittere possit.

Postea saeculo decimo octavo mediante, iterum in Circaria Bavarica, sermo fit de domo studiorum communi exigendo. Canonica de Osterhofen nunc pro tali domo proponitur. Non amplius Wiltina. Ratio hujus facti quaerenda est in debitis praegrandibus monasterii Osterhoviensis; ne hoc monasterium pereat, propositum est, sodales hujus Canonicae, in alium locum, studiorum causa, mittere; in Osterhofen institueretur novitiatus communis et domus communis studiorum. Verum propositum istud non potuit in praxim deduci, eo quod Praelati plurimi tale propositum censuerint probare non posse.

Mortuo abbate Wiltinensi, Gregorio von Stremer, oratio panegyrica pronuntiata est a Wiltinensi Casimiro Grustner. Inter alia, abbatem defunctum laudat his verbis: « Loquitur fama et existimatio publica, cujus non mediocre est argumentum, quod desiderati saepius, aliquoties etiam impetrati de Gregorii filiis fuerint ad canonicam disciplinam in aliis ordinis domibus aut erigendam aut confirmandam priores ». Plus quam semel, Wiltinenses mittuntur in collegium Griffense ut munus tam Prioris quam Professoris agerent. Item dicendum est de abbazia Windbergensi; potissimum vero de Osterhofen.

Relationes inter Abbatiam Wiltinensem et Universitatem Oenipontana non semper pacificae erant. Quod proveniebat partim ex opinionibus theologicis (cfr. A. Haidacher, *Ein Gnadenstreit zwischen dem Stifte Wilten und die Universität Innsbruck aus dem Beginn des 18. Jahrhundert: An. Praem.*, XXXI, 1955, 100-135; 193-226); partim ex eo quod Patres Societatis Jesu monopolium studiorum sacrorum sibi reservare intendebant; et commorationem alumnorum exterorum in canonica Wiltinensi considerabant uti contrarium privilegiis Universitatis, in qua ipsi docebant. Alia origo difficultatum proveniebat ex eo quod facultas theologica Universitatis censuram librorum omnium theologorum in diocesi sibi reservatam censuerit.

Tandem non raro disputabatur de praecedentia inter religiosos variorum Ordinum. Praemonstratensibus, uti canonicis, competebat praecedentia relate ad Ordines monachorum; quid autem relate ad Professores Universitatis? Wiltinenses hac in re sua privilegia retinere nitebantur. Quod non raro difficultates afferebat. Ita, anno 1724, cum Patres Servitae disputationem philosophicam instituerent, Patres Societatis Jesu huic disputationi, quamvis invitati, assistere nolebant « propter Wilthinenses, quorum Professores Theologiae nolunt postponi nostris Philosophiae Professoribus publicis, prout tamen oportet ratione Universitatis ».

Aliud thema disputationum erat istud: Praemonstratenses sintne canonici regulares an monachi? Quae quaestio nullatenus mere theoretica erat.

In Bulla approbationis Universitatis Oenipontanae ex parte S. P. Innocentii XI, edicebatur: « in qua universitate ultra scientiarum omnium rudimenta, etiam philosophiae et theologiae moralis et scholasticae, ac jus canonicum per presbyteros Societatis Jesu, *Sacra Scriptura* et controversiae fidei *per clericos saeculares*... doceri debeant ». Ratione hujus ultimi incisi, abbas Loer speraverat cathedram S. Scripturae in Universitate committi suo confratri, Neo-Doctori, Johanni a Freisingen. Patres Jesuitae se huic tentamini opposuerunt. Hac occasione, abbas Loer plurimis explicabat Praemonstratenses constituere ordinem canonicum, et non ordinem monachalem, qui « inter septa monasteriorum institutione zu verbleiben habe ». Cum Praemonstratenses canonici sint, ita abbas Loer, ipsis ipso facto cura animarum competit, ratione suae structurae et non ratione privilegii. S. Augustinus enim, ita idem Loer, nihil aliud intendit quam clerum saecularem reformare. Propter eandem rationem Wiltinenses almutium gerebant; cui consensit Circaria Bavarica, pro qua in Capitulo anni 1654 praescriptum fuit: « ut inimici canonici nostri nominis habitum nostrum canonicum videant et inter monachum et canonicum distinguere discant ». Propter eandem rationem Wiltinenses sese « Reverendos Dominos » vocabant, cui sese opponebant Circaria Bavarica et Suevica. Quae disceptationes effecerunt ut Capitulum Generale anni 1686 (Arch. Av., I, 281, fol. 55 r^o) haec statuerit: « Quoniam vero contra eadem Statuta, in quibus Abbas solus vocari debet Dominus, Prior non nisi Pater, coeteri tantum Fratres, consuetudo irrepsit ut religiosi sese passim Dominos appellent, Capitulum Generale omnes illos saeculares agendi modos improbens ac prohibens statuit eos privandos vino

sub una refectioe, quoties contigerit eos per similes mundanas ad invicem appellationes huic decreto contravenire ».

Quaestio ista cohaeret cum illa qua jam ab initiis Ordinis movetur ab auctore anonymi *Dialogi inter Cluniacensem et Cisterciensem*, in quo de filiis S. Norberti asseritur: « negant se esse monachos, quia volunt dici praedicatores et ecclesiae rectores ». Quod postea nervose exprimitur in litteris abbatis Wiltinensis Stickler, missis Procuratori Generali Ordinis in Urbe, quando episcopi nunnulli Germaniae in animo habebant petere a Summo Pontifice ut parochiae religiosis commissae sacerdotibus saecularibus attribuerentur. Scribit Abbas, inter alia: « Quod uti esset impium et crudele, ita certe periculis plenum. Ergo hoc demum lucri haberemur miseri, ut pro exantlatis laboribus et supportatis pro Ecclesiae aerumnis, postremo pro recompensatione condemnemur ad claustra ? ». Abbas Pussieger (1747-1765) idem forma adhuc multo fortiori expressit, scribendo Procuratori Generali in Urbe, Nicolao Meyers, die 11 Januarii 1751: neque episcopos, neque et Summum Pontificem (!) jus habere ut Praemonstratenses adigerent a paroeciis suis abstinere, « cum ordo noster ab ovo ad curam animarum sit institutus et semper seminarium pastorum appellatus... ».

Quae hac ratione compendiose tradimus ex longiori expositione Dr. Haidacher, l. c., absque dubio constituunt descriptionem accuratam, documentis fundatam, periodi historiae Ordinis in domo, quae post aerumnas varias et longas, vitam Canoniae ita revigorare potuerit ut per longum tempus admirationem aliarum Canoniarum merito suscitare valuerit, et simul non parum utilitatis spiritualis procurare potuerit Ecclesiae Dei.

J. B. VALVEKENS, O. Praem.

L'abbatiale de Bellelay.

Monument historique jurassien, l'abbatiale de Bellelay restaurée fut officiellement inaugurée le 20 septembre dernier, après presque deux ans de travaux. Par sa rénovation, l'abbatiale voit également son histoire, voire son existence, sortir enfin de l'oubli...

Un glorieux passé.

En 1135, Saginand prévôt de Moutier-Grandval, fait construire